Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26118
Copyright: Admont, Benediktinerstift

esurit. In isto numero quadragesime ostenditur sacramentum. nam et
moyses ieiunavit in monte syna, et helyas iuxta montem
oreb. Permittitur autem esurire corpus ut diabolo temptandi tribuatur
occasio. Dic ut lapides isti panes fiant. Esurienti congruit 3
dicere: dic ut lapides isti panes fiant. Sed duobus constrictus teneris o
diabole. Si ad imperium eius possunt lapides panes fieri, ergo frustra
temptas eum qui tante potentie est. Sin autem non potest facere, frustra dei
filium suspicaris. Si filius dei es, dic ut lapides isti fiant. Qui
respondens ait. Scriptum est. Non in pane solo vivet homo, sed in omni
verbo quod procedit de ore dei. Testimonium de deuteronomio sumptum est. 4
Ideo autem sic respondit dominus, quia propositum ei erat humilitate
diabolum vincere non potentia. Simulque animadvertendum quod nisi
ieiunare cepisset dominus temptandi occasio diabolo non fuisset.
secundum illud. Fili accedens ad servitutem dei prepara animam tuam
ad temptationem. Sed et ipsa responsio salvatoris hominem fuisse
indicat qui temptatus est. Non in pane solo vivet homo, sed in omni verbo quod
procedit de ore dei. Si quis ergo non vescitur verbo dei, iste non vivit.
Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem. Assumptio ista que 5
dicitur non ex inbecillitate domini venit, sed de inimici superbia, qui volun-
tatem salvatoris necessitatem putat. Ex hoc autem loco intelligitur
quod sit illud quod in alio loco scribitur: abierunt in sanctam civitatem et
multis apparuerunt. Statuit eum super pinnam templi, ut
quem fame temptaverat temptaret et vana gloria. Si filius dei es
mitte te deorsum. In omnibus temptationibus hoc agit diabolus,
ut intelligat si filius dei sit. Sed dominus responsionem sic temperat,
ut eum relinquat ambiguum. Mitte te deorsum. Vox diaboli,
qui semper homines deorsum cadere desiderat. Mitte te inquit. Persuadere
potest, precipitare non potest. Angelis suis mandavit de te.